



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

IV. Augusti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Dominicus Ord. Præd. author, quidquid à Maria petiit, impetravit. Vix incedere potuit, omnia ejus templa obibat, novas eam colendi artes inquirebat, rosarii usum latè per orbem propagavit, vidit Deiparam pro orbe, ne periret, supplicantem. Item aliàs Fratribus omnibus præter unum, qui minus compositè jacebat, benedicientem. Morienti Virgo B. adsuit, & ad cœlum invitavit, *In vita*. Facilis ad cœlum est via, ubi itur per rosaria.

S. Dominice ora pro me, ut mihi quoque morienti adesse gratiâ suâ & ope dignetur Regina Sanctissimi Rosarii, & coronarum à me in ejus honorem per vitam dictarum memor sibi mihi solatium adferat, ubi nulla profunt solatia nisi cœlestia. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusq; tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili &c. *f. 190.*

Ad quod impetrandum: Sollicitus agam, ut ita compositus hac nocte cubem, ne oculos Marianos offendam.

O quàm latè, quàm altè arbor illa magna B. V. MARIA Ramos suos extendit! quàm latè ad homines, quàm longè ad Angelos, quàm altè ad Deum! *S. Bern. spec. c. 5.*

Quæstio: An corona 63. an rosarium 15. salutationum B. V. antiquior?

V. AU.